



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

***DONKORKROMENSIS\****

VICARIATUS APOSTOLICUS, DONKORKROMENSIS APPELLANDUS,  
IN GHANAE FINIBUS CONDITUR.

Domini verbum cunctis gentibus diligenter nuntiantes et interpretantes, apostolica sollicitudine cupimus ubique terrarum opus evangelizationis fovere, aptis etiam providentes ecclesiasticis constituendis structuris. Cum vero Praefectura Apostolica Donkorkromensis, in Ghana, haud parum habuerit incrementum, visa est Nobis illa circumscrip<sup>tio</sup> ecclesiastica ita maturavisse ut in praesens ad superiorem gradum evehi possit. Quo proposito congruenter perpenso, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, habito quorum interest favorabili voto, statuimus et decernimus novum Vicariatum Apostolicum *Donkorkromensem* appellandum condere, qui eodem constet territorio ac prior Praefectura Apostolica eiusdem nominis. Quae ad christifidelium bonum pertinent novi Vicariatus Apostolici, sollicitis curis Societatis Verbi Divini, quae ibidem fructuosam navat operam, libenter ac fiduciose concredimus. Haec omnia diligenter ad expedienda Venerabilem Fratrem Leonem Kalenga Badikibele, Archiepiscopum titulo Magnetensem et Nuntium Apostolicum in Ghana, uti de more, delegamus, qui re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis ad eandem Congregationem cito mittenda. Contrariis rebus quibusvis non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri quinto.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CII (2010), n. 2, pp. 73-74 © Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana